



**S**anctus Lampertus generis nobilitate & fidei  
 doctrina omnes Belgas suo tempore supera-  
 bat. Hinc factū est ut Traiectensis Ecclesiæ Episco-  
 pus electus fuerit. Cū aut̄ suo officio optimè finge-  
 retur Childericus Francorum rex eum summo pe-  
 re dilexit. Erant tamen quidam qui eius admoni-  
 tiones ægrè ferebant. Propterea ab ijs sede Episco-  
 pali pulsus, atq; Ferramundus quidam substitutus  
 fuit. Verū cum patienter hanc iniuriam pius præ-  
 sul ferret, post septem annos sui exiliij in sede sua  
 restituitur. Erat eo tēpore Pipinus Maior domus  
 regni Francorum. Hic legitima uxore Plectrude  
 non contentus, pellicē Aluigen supduxerat, & ad  
 ulteriū committebat. Id cū S. Lampertus intellexisset, principē huius sceleris  
 causa arguebat, atq; ut ad officiū rediret, diligēter admonebat. Hanc admoni-  
 tionem meretrix illa ægerrimè tulit, atque cum Dodone fratre egit, ut pium  
 præsulem interficeret. Id quod impius frater, qui hoc sororis scelere delecta-  
 batur, opere perfecit. Hac ratione factum ut sanctus Lampertus, ob principis  
 iustam reprehensionem interfectus fuerit, Anno post natum Christum septin-  
 gesimo primo. Sigebert. Lampartica Hist. Ioan. Stumpff. Tom. 1. lib. 3.